

P V I S



1 6 0 3







PRECATIVNCV  
LAE VSVRPATAE IN  
ILLVSTRI SCHOLA BRI-  
GENSI, DIEBVS SVMMORVM FESTO-  
rum. M. MELCHIORIS SEVE-  
RI, Pribus. Professoris  
Poëtices.



VRATISLAVIÆ.  
IN OFFICINA TYPOGRAPHICA  
IOHANNIS SCHARFFEN-  
BERG.

clō. Is. LXXXVII.



Εὐχαιο θνητὲ θεῶ, κείνῃ χατέσσιν ἄπαντες.  
ὄβι λιμὴν κένθ' ἑωμὸς ὄβ' ὄβιν ἰάμος.  
τόνδε πύθ' ἡμετέρας ἐρ δυσυχίησι. φυγόντες  
εὐρέμενα βδλήν κολ' δωάμεθα ἄκος.

M. PAULVS IVNGIVS

MDLXXXI





NOBILI ET IN-  
GENVO ADOLESCEN-  
TI, IOHANNI A MÜLHAIM,  
in Plesvitz, &c. Discipulo suo charis.

M. MELCHIOR SEVERVS  
S. D.



ÆC tibi MÜLHAIMO suspiria,  
vota, precesq;  
Nuncupo, prognato splendidiore  
domo.

Cui pietas verè & virtutis gloria cordi est,

Ex quo fonte omnis manat origo boni.

Et minimè dubium est, generosos surgere in ortus

Sæpius ex humili nobilitate fatos.

Qui coluere nouem studiosa mente Camœnas,

Quas grauis aut iuuit Mars tua castra sequi.

Hac clypeos galeasq; sibi peperere suisq;

Perpetuum multi nobilitate decus.

Tu quoq; præclaro maiorum nate IOANNES

Sanguine, te pietas, quod iubet, illud age.

Et sic illustres vestigia clara parentum

Ingenio, cultu, moribus, arte, fide.

Vt tum, cum vitæ iacturam feceris huius,

Te DEVS æterna nobilitate beet.

Interea monitus hos miti suscipe mente,

Atq; poëma boni consule vile: Vale.



PRECATIVNC V=
LAE VSVRPATAE IN
ILLVSTRI SCHOLA BRI-

genfi, diebus summorum festorum ::

M. Melchioris Seueri Prib.

Professoris Poëti-

ces.

IN NATALI SALVA-
TORIS.



Hriste DEI fili, benedictum se-
men Abrahæ,

Indelibata virgine nate Puer.

Ex Aquilone malum mundi sub sine ruentis

Venturum vates præcinuere sacri.

Fluctuat in magnis Germania tota periclis,

Sicut arenosis cineta carina vadis.

Voluitur hinc illinc Eridos contentio pomi,

Doëtorum nec habet lis diuturna modum.

Sed tu quaeso tuo gentem de nomine dictam

Respice, res agitur Christe salusq; tua.

Angele consilij magni Dux alme Micæel

Pro populo pugnes fortiter vsq; tuo.

Latius vt vera spargi doctrina salutis,

Noticia & possit nominis ire tui.

ALIA.



## A L I A.

**C**HRISTE faue studijs pietatis & artibus illis,  
In quibus est laudis gloria sparsa tuae.  
Nam sine te labor est conatus & irritus omnis,  
Nec procedit opus te nisi dante DEO.  
Tu rege nosq; iuua discentes atq; docentes,  
Ne labor illustris sit sine fruge Schola.  
Da sonet Elysij doctrina salubris in oris,  
Linguarum dulcis cognitioq; trium.  
Esto precor nobis prestò sub vespere mundi,  
Et sine noticiam latius ire tui.  
Ipse licet contra fremat impius Orbis & Orcus,  
Nos ope destitui non patiare tua.

## PRO FELICI AVSPICIO NOVI ANNI.

**F**atalis sextus fuit octuagesimus annus,  
Orbi terrarum, Principibusq; viris.  
Decurrat nouus ut fato meliore precamur,  
Omnibus & nobis afferat omne bonum.

## IN FESTO ANNUNCIATIONIS MARIÆ.

**C**onditor Humani generis Mundiq; redemptor,  
Concepte à sacro Flamine viue λόγος.  
Seuit ab Eo crudelis acinace Turca,  
Ex alijsq; crepant horrida tela locis.  
Occiduis populatur agros ferus hostis in oris,  
Omnia sunt armis & loca plena minis.

A ij

Affere



*Affere queso tuum Mundi sub vespere cætum,  
Es quem mercatus sanguine CHRISTE tuo.*

## TEMPORE PASSIO- NIS CHRISTI.

**Q**uinq; per & propter IESV tua vulnera Christe,  
Propitius nobis omnibus esto precor.  
Et tua Mors nostra cum sit reparatio vitæ,  
Nos minimè aterna morte perire sinas.  
Luctantes summa nec desere mortis in hora,  
Sisq; animæ nostræ mite leuamen, Amen.

### ALIA.

**N**ON fuit, est, nec erit dolor & patientia maior,  
In Cruce pro miseris quàm tua CHRISTE reis.  
Morte tua nihil hoc & acerbius orbe fuisse,  
Consensu vnanimi pagina sacra docet.  
Tu qui per pulchram petijsti vulnera mortem,  
Cuius præcipuè nos tibi causa sumus.  
O generis nostri germen, dulcissime IESV,  
Vulneribus sana vulnera nostra tuis.  
In nobis repara culpa quod primus Adamus  
Deliquit, veniam des miserisq; reis.

### DE DICTO ESAIÆ 53.

**C**uius in ore dolus fraus & non vlla reperta,  
In Cruce pro nobis victima cæsus obit.  
Vt nos pollutos astuti labe Draconis  
Liberet, aeterno restituatq; DEO.

PIÆ.



PIAE MEDITATIONES  
VETERVM, DE PASSIO-  
NE CHRISTI.

**Q**UO ruis ò mortalis Homo, tantosq; dolores  
Cur perdis? pro te cùm mala tanta tuli.  
Cur scelus omne colis, teq; in peccata reuoluis?  
Tu mihi permagno cùm steteris precio.  
Ah reuoca in mentem, qua nam te morte redemi,  
Tempore iudicij ne tua fata fleas.

IN DIE FAVSTISSIMO  
CHRISTIANI PA-  
SCHATIS.

**C**HRISTE reduxisti tumulo qui rursus in auras  
Hanc massam, dederat quam mea culpa neci.  
Peccato, quod nos in abyssum merferat Orci,  
Exue, membra tibi consociata fide.  
Daq; resurgentes vitiorum mole solutos,  
In te perpetuò viuere, viue DEVS.

DE DICTO CHRISTI, Iohan. 20.  
DOMINICA IN ALBIS.

**S**IC quibus afflabat numen spirabile Christus  
Commendat sacri iura ministerij:  
Sit peccatorum vobis concessa potestas,  
Condonate bonis, & retinete malis.

IN DIE ASCENSIONIS  
DOMINI.

**R**ursus Olympicas Christus consurgit in arces  
Hostibus à victis, Patris aditq; sinum.

De



*De quibus in summa Cæli regione triumphat,  
Atq; domat Stygij sceptrâ superba Ducis.  
Hoc est inuicti victoris parta triumpho  
Humano generi, gloria, vita, salus.*

**IN FESTO PENTECOSTES  
AD SPIRITUM  
SANCTUM.**

*Spiritus alme veni, spires in corda piorum  
Et Patris, & Nati, noticiamq; tui.  
Tu pressis presta solatia tempore duro,  
Membra tui recrea fracta vigoris ope.  
Halitus atq; tuæ nos afflet amabilis aura,  
Disamus soli quo placuisse DEO.*

**IN FESTO SANCTAE  
TRINITATIS.**

*Sancta Trias trina sub voce coæua potestas,  
Et DEVS in trino numine numen idem.  
Gentis in orbe tuæ mundi dolor ante ruinam  
Summus, & est rerum tristis ubiq; status.  
Hos inter fluctus Ecclesia pressa laborat,  
Et gemit ut Ceyx cum perit Alcione.  
Sed tu presenti DEVS omnia numine complens  
Ad partes nostras respice, Vesper adest.  
Vesper adest, picea venit hesperus illitus umbra,  
Non sine noticia lumen obire tuæ.*

*AMEN.*



Jf 4600

ULB Halle 3  
003 299 04X



sb.

V077











B.I.G.

Farbkarte #13

XX

19.

CATIVNCV  
SVRPATAE IN  
TRI SCHOLA BRI-  
IEBVS SVMMORVM FESTO-  
M, MELCHIORIS SEVE-  
I, Pribus. Professoris  
Poetices.



RATISLAVIÆ.  
FFICINA TYPOGRAPHICA  
IOHANNIS SCHARFFEN-  
BERG.

15. 15. LXXXVII.

u.

